

Si tamen de voluntate consequenti et efficaci salvandi loquamur, illæ distributiones non sunt universaliter accipiendæ, quia sic non verificantur, possunt tamen verificari in sensu accommo et restrictivo.

Quod vero dicitur illam voluntatem salvandi omnes simpliciter esse bonam, et placere Deo, respondetur, placere Deo secundum se, et ante-

cedenter, non efficaciter, et consequenter, sic enim de facto Deus id non vult, nec placet. Voluntatem autem illam antecedentem nos non negamus Deo convenire, nec fictitiam dicimus; sed addimus quod etiam loquendo de voluntate efficaci, illa universalis potest suum sensum habere, sed restrictive aut accommode ut explicatum est.

QUÆSTIO XX.

DE AMORE DEI.

SUMMA LITTERÆ TEXTUS.

Ad hunc actum, qui est amor reducit D. Thomas omnes qui Deo possunt convenire, quia sub isto continentur, aut ex illo derivantur.

In articulo primo ostendit in Deo esse amorem, eo quod amor est primus actus appetitus, seu voluntatis, quo fertur in bonum tamquam in primum et principale objectum: omnes enim alii actus præsupponunt amorem, qui est tendentia ad bonum; si enim actus sint circa malum, utique bonum est prius malo; si autem sint circa bonum sub aliqua speciali conditione, v. g. circa bonum habitum vel habendum, etc. tales actus jam supponunt attactum ipsum bonum, et consequenter amatum. Nulli ergo voluntati deesse potest amor, hoc ipso quod aliquem actum habet.

In secundo articulo ostendit ad quæ objecta se extendit amor Dei circa creaturas. Et dicit se extendere ad omnia existentia: ipsum est enim esse bonum est, et cum sit causatum a Deo, volitum est a Deo, qui per voluntatem illud causat. Nihil autem aliud est amare, quam velle alicui bonum: in quantum ergo Deus vult aliquod esse quod est bonum, amat. Sed dissimiliter ad nos, quia nos supponendo bonum quod amemus, et a quo provocemur: Deus causando, et creando bonum quod vult.

In articulo tertio et quarto loquitur de amore Dei comparative ad hæc objecta volita, videlicet an quædam magis amet, quam alia, an omnia æqualiter. Et secundo, an magis amet ea quæ sunt meliora. Et circa primum, docet articulo tertio, quod Deus magis amat unum, quam aliud ex parte rei volitæ, licet non magis ex parte actus, quia eodem simplici actu omnia vult, sed non idem, et æquale bonum vult omnibus, sed magis uni quam alteri, quia diversum, et æquale bonum vult diversis rebus. Circa secundum autem ostendit necesse esse quod Deus magis diligat meliora, cum hoc ipsum quod est meliora esse, ex Dei participatione et voluntate habeant, quia scilicet majus bonum eis vult.